This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600044863V

9405 d. 74

600044863V

9455 d. 74

112

Einladungsschrift

zu den

1502

öffentlichen Schulprüfungen

im

Herzoglichen Francisceum

zu

Zerbst

am 26. und 27. März 1855.

Inhalt.

1) De Jove Homerico. Abhandlung des Oberlehrers Dr. Hammer.

2) Jahresbericht des Directors.

Zerbst, 1855.

Gedruckt bei Friedrich Römer.

9405 . d. 1

De Jove Homerico.

Scripsit

Fr. Hammer.

De Jove homerico.

Quo longius gentes a cultu humanitateque absunt, eo acrius quacunque re extrinsecus obiecta permoventur. quidquid igitur aut ingenti magnitudine animos obstupefacit, aut singulari quadam magnificentia admiratione adficit, aut aperta utilitate delectat, aut immani vi et impetu perterret, id verentur, idque ut veneratione prosequantur, facile solent impelli. quamobrem in rerum natura caelique ostentis omnem vim divinam positam esse censent, ab iisque gratiam petunt atque clementiam. aliquanto vero perfectior est ratio eorum, qui non ipsam naturam adorant sed in elementis numen quoddam, quod divino venerantur honore, inesse existimant. iam vero etiam numina illa a rebus, quibus praeerant, seiuncta cogitari coepta sunt, quumque homines se in illorum potestate esse cognoscerent, sensim etiam rerum humanarum gubernatio penes eos esse putabatur. eodem fere modo Graecos illo tempore, quo Heraclidae in Peloponnesum descendisse dicuntur, paullatim ad rectiorem quandam rerum divinarum cognitionem processisse, atque poetas etiam hac in re totius populi propugnatores, ut ita dicam, fuisse, moribus illius aetatis perspectis nemo ignorat; nec minus adparet, omnium poetarum principem fuisse Homerum eundemque normam ac regulam poetae; cuius sententiae, ne in re aperta longior esse videar, omittam testimonia et argumenta. illud vero videtur esse praemonendum, in diis, quales in Odyssea et Iliade effinguntur, naturam atque ingenium ipsius poetae eiusque totius aetatis uti in speculo cerni.

At quaenam de deorum vi atque natura ipsius Homeri fuerit opinio ubi inquisiveris, hominum doctorum sententias magnopere inter se discrepare ac plane in diversum distrahi invenies; alii enim eum mysteriis quibusdam initiatum illius doctrinae res externas tantummodo divulgasse existimaverunt, alii eum fabulas quibus ne ipse quidem fidem habuisset, ut carminibus poetico essent ornamento, enarrasse contenderunt. neutra mihi probata est sententia. nam quod illi dicunt poetam plus novisse quam dixisse, tantum abest ut credam, ut ab epici poetae

ratione plane abhorrere mihi videatur. ii vero qui Homerum carminibus *suis, ut* inesset, quod legentium animos delectaret, fabulas inseruisse putant, illud *non* respiciunt, quod Ilias et Odyssea poetico modo reddere videntur ea, quae vita consuetudoque hominum, qui tunc erant, atque ipsa rerum natura obtulerunt, quaeque, licet veris falsa fuerint admixta, sermone hominum memoriae tradita erant. locus enim ille Herodoti (2, 53) celeberrimus: *οὗτοι (Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος) δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες,* quomodo intellegendus sit, iam Terpstra docet his verbis: „quae quidem Herodoti verba non ita sunt accipienda, ut ea omnia Homerum et Hesiodum primos invenisse existimemus; his enim repugnant, quae de Orpheo, Musaeo aliisque veterioribus sunt prodita. immo vero fuit Graecis mythologia ante Homeri et Hesiodi tempora: hi vero e populari traditione, quae ad deos pertinent, omnia diligenter relata confirmarunt et ornata auxerunt ita ut deis fere soli in Graecorum theologia principes haberentur et quasi auctores.“ — Homerus igitur atque Hesiodus cultum quendam deorum a maioribus traditum receperunt sed sua cuique deo cognomina, munera, honores et formas adtribuerunt. —

Jam vero qualem Homerus Jovem, deum supremum, esse statuerit, demonstraturus primum docebo, quanam ratione Juppiter cum fato fuerit coniunctus, deinde quem locum inter deos obtinuerit, ac postremum, qualis Jovis naturae atque rerum humanarum fuerit gubernatio.

De ea re, quam primum tractandam mihi proposui, ut plane ac dilucide exponam, praestituendum est, quid nomina *μοῖρα*, *μόρος* et *αἶσα*, quibus Homerus, ubi fatum commemorat, usus est, proprie significent, quoque in nexu legantur. saepenumero enim *μοῖρα* partis sive portionis habet potestatem, id quod ex multis Iliadis et Odysseae locis elucet. Cf. Il. *κ*, 252. sq.

. . . . . παρῴχηκεν δὲ πλέων νύξ
τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

ubi de tertia noctis parte intellegendum est; inde aequam partem et, genitivo *βιότοιο* adiuncto, vitae portionem significat. Cf. Il. *δ*, 170.

αἴ κε θάνῃς καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο

Huc etiam illi loci referendi sunt, quibus praepositio addita est: *κατὰ μοῖραν* enim significat id quod decet, quod aequum est, et *ἐν μοίρῃ* (Cf. Od. *χ*. 54. Il. *τ*. 186.) de eo dicitur, quod recte agitur. denique ubi ea, quae mortalibus fato destinata sunt, commemorantur, in utramque partem usurpari solet. locis enim, cuiusmodi est. Il. *γ*. 182.,

ω μακαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον

de beata sorte humana intellegendum esse adparet; saepius vero de altera fortuna, maxime de morte ipsa tanquam omnibus communi sorte dictum est.. Cf. Od. λ, 160. τεὶν δ'ἐπὶ μοῖραν ἔθηκεν. ideirco ὀλοή et δυσώνυμος a poeta non raro adpellatur.

Eadem fere notione similique apud Homerum connexu legitur αἶσα, unde derivata adiectiva αἴσιμος et ἐναίσιμος de eo dicuntur, quod fato consentaneum est, quod decet. quare h. l. sufficiat adiecisse, utrumque nomen (μοῖρα et αἶσα) usurpatum esse ad numen illud fatale significandum, quod aliis locis mala cuiusvis generis, aliis mortem ipsam hominibus statuere dicitur. illo enim loco Iliadis (τ, 87.), ubi Agamemno in Graecorum contione se cum Achille in gratiam rediturum esse pollicetur, rixae illius calamitosae culpam sibi adtribuendam esse negat, sed a Jove et fato animo suo iniectum esse furorem atque dementiam. quae tamen verba ubi quis dubitaverit, num ita sint intellegenda, ut μοῖρα numinis locum obtineat, haud dubie ex iis cognoscet, quae Juno (Il. υ, 127.) dicit his verbis:

..... ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἄσσα οἱ αἶσα
γιγνομένῳ ἐπέννησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Si igitur Μοῖραν et Αἶσαν numen significare constat, quod suam cuique sortem impertiat, iam quaeritur, quale hoc fati numen esse Homerus statuerit, quaeque ratio inter fatum et Jovem aliosque deos intercedat.

Fuerunt enim qui putarent fatum illud homericum esse potentiam quandam neque ullo vinculo cum diis coniunctam et temere dominantem, quae non minus deorum quam hominum libere agendi facultatem aliqua ex parte dissolveret. ubi vero ex ipsis poetae carminibus petiveris argumenta, quibus opinio illa confirmetur, vix quibus excusetur invenies. quid igitur mirum si in contrariam conversa nonnullis viris doctis probata est, qua fati eadem esse atque Jovis deorumque decreta dicuntur. ac profecto non desunt loci, ex quibus fati notionem Homeri tempore nondum satis excultam et definitam fuisse colligas; quod eo minus habet offensionis, quo minus ab universa natura humana alienum est; nam nostro etiam tempore, quamvis deum omnipotentem non modo orbem terrarum sed etiam minutissima quaeque, quae accidant hominibus, regere edocti simus, in omnium ore est illa dicendi ratio, qua casus quidam non tam ad deum ipsum quam ad fatum quoddam fatique, ut ita dicam, praedestinationem referri solent.

Primum igitur, quo sibi iure illi fatum idem atque Jovis decreta significare videantur contendere, docendum est. cuius sententiae argumenta in eo cer-

nuntur firmissima, quod innumeris locis leguntur: *μοῖρα θεοῦ, μοῖρα θεῶν, δαίμονος αἶσα, Διὸς αἶσα* atque similia. huc etiam referas, quod *ὑπὲρ θεόν* (Il. ρ, 327.) atque *ὑπὲρ αἶσαν, ὑπὲρ Διὸς αἶσαν* et *ὑπὲρ μόρον* saepissime promiscue ponuntur; atque adeo *θέσφατον* illud, oraculum quo deorum voluntas aperitur significans, etiam de eo, quod fato destinatum est, dicitur, ita ut eadem qua *μοῖρα* notione usurpetur; quod maxime intellegitur ex duobus Odysseae locis; nam lib. 10, 473 leguntur verba:

εἴ τοι θέσφατόν ἐστι σαωθῆναι καὶ ἱκέσθαι κ. τ. λ.

et Od. ι, 532:

ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστι φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐϋκτίμενον.

unde liquet, verba: *εἰ θέσφατόν ἐστιν* idem esse atque: *εἰ μοῖρ' ἐστιν*. porro vero etiam Jovem ipsum Homerus loquentem facit: (Od. α, 33.)

ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοί
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν,

quo loco poeta *ὑπὲρ μόρον* eadem mente qua alias *ὑπὲρ θεόν* dicit. accedit, quod *μοῖρα* et *Διὸς νόημα* de eadem re usurpantur; nam Il. ψ, 80 Patroclus dicit Achilli:

καὶ δέ σοι αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
τείχει ὕπο Τρώων εὐηγενέων ἀπολέσθαι.

atque de eiusdem sorte Achillis: Il. ρ, 406. leguntur haec:

. . . . . ἐπεὶ οὐδὲ τὸ ἔλπετο πάμπαν
ἐκπέρσειν πτολίεθρον ἄνευ ἔθεν, οὐδὲ σὺν αὐτῷ·
πολλάκι γὰρ τό γε μητρὸς ἐπεύθετο νόσφιν ἀκούων,
ἥ οἱ ἀπαγγέλλεσκε Διὸς μεγάλοιο νόημα.

quae nisi de morte Achillis praematura a Jove ipso praestituta atque cum Thetide communicata intellegi non possunt. — denique locis quibusdam quas res *μοῖρα* perfecit, easdem ab ipso Jove vel ab aliis diis peractas esse exponit Homerus. quum enim ceteri Troiani a Graecis oppressi in urbem refugerent, solum Hectorem ut ante portam Scaeam remaneret, fato exitiali retentum esse dicit (Il. χ, 5.) idem poeta, qui alio loco eiusdem libri (V, 297.) ipsum Hectorem a Minerva deceptum fingit querentem, se a diis ad mortem oppetendam esse vocatum. nec minus h. l. commemorandum est illud, quod Patroclus moribundus (Il. π, 845.) Hectori primum quidem dicit:

. . . . . *σοὶ γὰρ* [illegible]

νίκην Ζεὺς Κρονίδης καὶ Ἀπόλλων, οἵ μ' ἐδάμασσαν
ῥηϊδίως.

nonnullis vero verbis interiectis pergit:

ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

quae verba eandem rem modo Jovi aliisque diis, modo fato ipsi adtributam esse aperte docent. at restat locus, quo perspecto, si quid forte in dubio relictum videtur esse, prorsus explanatur; namque Il. φ. 82, 299. scripta sunt verba:

..... νῦν αὖ με τεῇς ἐν χερσὶν ἔθηκεν
μοῖρ' ὀλοὴ μέλλω που ἀπέχθεσθαι Διὶ πατρί
ὅς μέ σοι αὖτις ἔδωκεν.

Idem igitur Lycaon (hunc enim ita dicentem facit Homerus) qui modo se Achilli fato traditum esse dixit, confestim insequenti versu, ad illa, quae praecedunt, explicanda adposito, se Jovi invisum atque ab ipso Jove proditum esse queritur. teste igitur Homero quod fato adtribuitur etiam Jovis potentia perfectum esse cogitandum est. nec iam opus est dollis illis commemorandis, ex quibus in Jovis limine positis pater deorum atque hominum sua cuique et bona et mala impertire putabatur. quod enim illo loco (Il. ω, 527. sqq.) poetarum more enarrat Homerus, alio loco (Od. ο, 488.) fabula illa non adhibita simpliciter dicit his verbis:

ἀλλ' ἤτοι σοὶ μὲν παρὰ καὶ κακῷ ἔσθλον ἔθηκεν
Ζεύς.

His omnibus, quos laudavi, locis comparatis, quis est qui fati Jovisque decreta eadem esse videri neget? quamvis vero haec ita sint, multum tamen abest ut omnis dubitatio de re proposita, quaenam ratio inter fatum et Jovem intercedat, sublata sit; alii enim inveniuntur loci, qui ita sunt comparati, ut plane contrariam inde sententiam percipias. ubi igitur hac de re quid iudicandum sit exposuero, explicare conabor, unde factum sit, ut alia aliis locis eiusdem poetae fingeretur fati natura et potentia.

Verum enimvero serioribus temporibus tota Graecia inveteravit opinio, quidquid esset deorum et hominum, fato esse subiectum nec quemquam perniciem imminentem effugere posse. cuius rei autorem locupletissimum habeo Herodotum dicentem, (lib. 1, 91.) Pythiam ipsam Lydis a Croeso ad oraculum consulendum missis respondisse haec: *τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ κ. τ. λ.* Verum sit licet, Herodoti tempore in rebus, quae ad cultum deorum pertinent, multa fuisse mutata ac magis perfecta quam Homeri aetate; prima vero initia et semina, ut ita dicam, religionum graecarum ex Homero tanquam ex fonte inexhausto expetita esse constat. non enim desunt causae, quibus ut

credas, fatum a deorum voluntate diversum esse adducaris. nonne hoc vel ex eo coniectura assequi poteris, quod Juppiter (Il. ϑ, 69) in certamine Graecorum et Troianorum dubius, utris victoria sit adtribuenda, libram comprehendit, fati voluntatem exploraturus? idem (Il. χ, 210) quum Achilles cum Hectore dimicaret, fecisse traditur. nam quod dicunt, Jovem libram comprehendentem exprimere Jovem, quid faciendum sit secum reputantem,*) equidem nihil curo. nam illa allegoria adhibita id tantummodo indicatur, Jovem cui sua ipsius providentia aliqua ex parte non sufficiat, non ex suo arbitrio sed ex legibus fati decreturum esse. aliud igitur numen cogitari debebat, cuius voluntas erat exploranda, quoque dii sua ipsorum decreta inferiora esse profitebantur: quod si non ita esset, fati voluntati quamvis suis consiliis repugnanti dii non obtemperarent. sed maiori potentiae non modo minime inviti cedunt, sed etiam eius decreta exsequuntur atque ab hominibus poenas exigunt fatales. Juppiter enim quum in insulam Calypsus Mercurium adlegaret, qui Nympham Ulixem demittere iuberet, mandatis suis haec adiecit:

ὣς γάρ οἱ μοῖρ' ἐστι φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἐὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Etiam evidentius deos, quae fatum statuerit, perficere ex iis colligi potest quae (Il. ο, 613. sqq.) de Hectore dicuntur:

..... μιννυθάδιος γὰρ ἔμελλεν
ἔσσεσθ'· ἤδη γάρ οἱ ἐπώρνυε μόρσιμον ἦμαρ
Πάλλας Ἀθηναίη ὑπὸ Πηλείδαο βίηφιν.

Non minus apte huc referas illum Iliadis locum (Il. υ, 300) ubi Neptunus vociferatur:

ἀλλ' ἄγεθ', ἡμεῖς γάρ μιν ὑπ' ἐκ θανάτου ἀγάγωμεν,
μήπως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, αἴ κεν Ἀχιλλεύς
τόνδε κατακτείνῃ. μόριμον δέ οἱ ἐστ' ἀλέασθαι.

---

*) Cf. Naegelsbach. Hom. Theol. S. 121. Man hat sich Wunder wieviel damit gewusst, diese τάλαντα, durch welche Zeus einen ihm fremden Willen zu erkennen strebt, rationalistisch als seine eigenen Erwägungen zu deuten, ohne zu bedenken, dass man durch solches Hineintragen eigener Verständigkeit in die Weltanschauung des Dichters, deren eigenthümliche, in reflexionslosem Kindergluben sich aussprechende Form geradezu zerstört.

Cf. etiam Verg. Aen. 12, 725.

Juppiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet et fata imponit diversa deorum.

Inde adparet, deos quae a fato praestituta sint non modo exsequi, sed etiam prohibere, ne quid contra fati voluntatem fiat. quod tamen h. l. dictum est: servemus Aeneam, ne Juppiter succenseat, hoc inde quidem explicari potest, quod pius Aeneas, Veneris filius, cum aliis diis tum Jovi erat carissimus, sed etiam altera interpretatio quo commendetur habet, qua ipse Juppiter, si quid fato invito fieret, acerrime irasci putandus esset propterea quod ipsi potissimum summo regi deorum ac rerum humanarum moderatori voluntas fati rite exsequenda curae est. praeterea diis providendum fuisse, ne illud *ὑπέρμορον* (*ὑπὲρ μόρον*) quod vocatur accideret, ex Iliade (*π*, 698 et 707 sq.) adparet, ubi haec fere dicuntur: tunc (quum Patroclus instaret Troianis) Graeci urbem expugnassent, nisi Apollo ab iis defendisset; idem vero deus paulo post Patroclum alloquens: recede, inquit, Patrocle, neque tua, neque Pelidae hasta Troiam expugnari fatum est. denique deorum potentiam fato invito nihil valere, concedit Minerva dicens (Od. *γ*, 236 sqq.):

ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίϊον οὐδὲ θεοί περ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δή
μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλέγεος θανάτοιο.

Cf. etiam Od. *ω*, 29. huic vero sententiae ea videntur repugnare, quae Euryclea Penelopae dicit: (Od. *δ*, 752.)

εὔχεϊ Ἀθηναίῃ, κούρῃ Διὸς αἰγιόχοιο,
ἣ γάρ κέν μιν ἔπειτα καὶ ἐκ θανάτοιο σαώσαι·

At videntur tantum repugnare, non repugnant; hoc enim loco non de Telemacho morte iam correpto sed in discrimine mortis versante agitur.

De necessitudine, qua fatum cum diis coniunctum est, haec habui, quae dicerem. iam igitur ubi de vi et natura fati paucis dixero, demonstrandum mihi erit, quomodo fieri potuerit, ut eodem tempore duplex illa statueretur esse fati condicio.

Μοῖρα enim est numen illud fatale quod animo quidem fingi et cogitari potest, sed definiri atque exprimi nequit; nunquam igitur prae se fert personae speciem, nunquam precibus invocatur, nullo certo utitur domicilio, nullum ei templum vovetur, nulla ara consacratur, nulla sacra fiunt ad eius iram expiandam commovendamque misericordiam. adde quod nulla ei adtributa est potentia, qua si a volentibus diis nequiret, ab invitis iura sua expeteret. *Μοῖρα* igitur non dea fuit sed numen quoddam inexorabile, quod nemo adire potuit, cui simpliciter erat obediendum. non igitur mirum est, quod Jovis potestas modo inferior videtur esse fato, modo Jovis decreta fatique eadem esse dicuntur. hanc diver-

sam de fato sententiam Homeri aetate fuisse, quum negari non possit, restat ut quomodo orta sit demonstretur.

In diis igitur permagna cum corporis tum animi vis inesse putabatur, quae humanarum quidem virium modum longissime excederet, sed ne in Jove quidem, supremo deo, tanta esset, ut omni ex parte perfecta atque absoluta videretur esse. quamquam enim in Iliade et Odyssea saepius de diis universis leguntur verba: *θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται*, de Jove ipso: *δύναται γὰρ ἅπαντα*, et de Sole: (Od. λ. 109. Il. γ. 277.) *ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει*: tamen idem poeta narrat, neque Neptunum filii sui Polyphemi oculo mederi, neque Jovem fulmine suo scutum Minervae perfringere potuisse, atque Lampetiam ad Solem se contulisse nuntiaturam, quod ille ignoravit, ab Ulixis sociis boves sacras esse mactatas; perinde ac si imbecillis natura humana perfectae et omnibus numeris absolutae potentiae notionem cogitatione capere quidem potuisset, sed revera tenere non potuisset. quum igitur Juppiter non omnibus rebus exsequendis par esset, quum alii dii eius voluntati nonnunquam resisterent, quumque decipi posset atque libidinibus acerrimis esset obnoxius: penes eum summam rerum omni ex parte expletam fuisse, concedi non potest. defuit igitur numen, ad quod principia rerum referrentur, cuius voluntas nec precibus neque vi adhibita flecti posset. quae quum ita essent, numen illud fatale, ita quomodo supra diximus comparatum, cogitari coeptum est, quo non minus Jovis quam ceterorum deorum potestas esset inferior. quod tamen quum externa potentia careret, eique hanc ob causam mandatorum exsecutore, ut ita dicam, opus esset, munus fati decreta persequendi Jovi, quippe qui plurimum imperio valeret, nescio quo modo delatum, vel potius in eum delapsum est. hoc modo duae potentiae, quarum alterius fuit fata praestituere, alterius praestituta exsequi, sensim in unam quodammodo coniunctae esse existimabantur, sic tamen ut eaedem res modo ad numen fata praestituens, modo ad supremum deum illa exsequentem referrentur. —

Jam ad alteram dissertationis partem transituro mihi exponendum est, *quem* locum Juppiter inter deos obtinuerit. — Naturae humanae insitum esse desiderium numinis cuiusdam, non minus sua quemque docet experientia, quam ex universa rerum historia cognoscitur, et quo rudiores homines sunt, eo simplicius de diis atque rebus divinis sentire solent. quid vero simplicius cogitari potest, quam si homines deos in suam ipsorum effigiem formant, nec modo quascunque voluptates in deos transferunt sed etiam quibus curis ac sollicitudinibus, doloribus et cupiditatibus se ipsos commoveri sentiunt, iisdem deos adfici credunt? eandem igitur vivendi, cogitandi et sentiendi rationem, quam homines antiquissimis temporibus sequebantur, diis adfingere non dubitabant. quare mirum videri non potest, quod etiam Grae-

ci easdem leges atque instituta, quibus ipsi utebantur, ad deos transferri, quodque regnum deorum in suarum civitatum speciem conformari voluerunt. ubi vero aetatis homericae civitates civitatumque formas respexeris, penes unum intelleges fuisse summum imperium. quapropter non modo quid ipse de optima civitatis administrandae forma iudicaret, sed totius suae aetatis opinionem pronuntiasse videtur Ulixes dicens: (Il. β, 204)

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

At regi, ne ex suo tantum arbitrio regnare videretur, quocum consilia conferret, adiungi solebat senatus (βουλὴ γερόντων, βασιλῆες, βουληφόροι.), cuius tamen potestas ita fuit circumscripta, ut nunquam regis voluntati se opponere, nunquam quicquam ab illo invito impetrare, nunquam eum ad rationem rerum gestarum reddendam revocare posset. cuius rei testimonia quamvis multa quae adferantur in promptu sint, haec tamen tantummodo h. l. protulisse satis habeo. legimus enim (Od. ϑ, 390) in Scheria insula Phaeacum praeter Alcinoum omnium principem duodecim fuisse reges, qui non solum ab illo mandata accipere sed etiam in regio palatio epulari dicuntur. alio Odysseae loco (α, 394.) multos in Ithaca esse reges, quibus dignitatem regiam sibi vindicare liceat commemorat Telemachus, dummodo sua sibi bona reserventur; nec minus in Graecorum exercitu, cui Agamemno praefuit, senatum quendam (βουλὴν γερόντων) fuisse notum est. quamquam igitur, ut supra diximus, unus summam rerum obtinebat, nec ulla potentia ne sua persequeretur consilia prohiberi poterat, tamen non sine magno suo detrimento atque periculo in auctoritate senatus illius aspernanda perseverare potuisset. praeterea principi erat videndum, ne in civitate administranda consensu publico careret, neve ob violatam institiam, liberalitatem pietatemque male audiret. inde adparet potestatem illo tempore regiam non prorsus absolutam fuisse sed finibus quibusdam terminisque circumscriptam. nonnunquam igitur, ubi rei natura postulare videbatur, fiebat, ut non tantum senatus sed populus universus a rege in contionem convocaretur, non tamen ut ille quid cuique de re proposita videretur quidque consilii capiendum esset, audiret, sed ut omnes regis decreta acciperent et comprobarent. contione deinde dimissa, aut silentes nulla mora discedunt, aut id quod non raro fit, regis decretis assentantur acclamationibus. quare non iniuria rex ἴφι ἀνάσσειν idemque πατὴρ ὥς ἤπιος εἶναι dici potuit.

Haec fere erat civitatum disciplina qua Homeri aequales utebantur; simili modo civitatem deorum ordinatam constitutamque fuisse, cum ex hominum, qui tunc erant, consuetudine sua instituta in deos transferendi conicias, tum ex iis quae

de deorum rebus Homeri carminibus continentur intellegas. Jovem enim in deorum contione summum obtinere imperium loci docent permulti; cf. Il. Θ, 49. *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.* Od. τ, 303. *ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος.* Od. ω, 473. *ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων.* Il. β, 412. *Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε.* Od. δ. 237. *Ζεὺς — δύναται γὰρ ἅπαντα;* Il. β, 669. *ἐκ Διὸς, ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.* Od, ε, 4. *Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, οὔτε κράτος ἐστί μέγιστον* aliaque multa. omnium vero locorum ille est gravissimus (Il. Θ, 5.), ubi Juppiter omnibus diis coniunctis se unum plus valere potentia gloriatur. sed quantacunque praevaluit potestate revera omnipotens fuisse nullo modo dici potest. sicuti enim, ut supra dixi, in Phaeacum insula duodecim praeter Alcinoum dominabantur reges, ita contionibus, quae Jove praeside in Olympo habebantur, omnes dii consentes, qui dicebantur, interesse solebant. porro vero sicuti Agamemno, ubi de rebus gravissimis erat agendum, non modo senatum illum (*βουλὴν γερόντων,*) cuius antea facta est mentio, sed omnes Graecos, quibuscum consilia sua communicaret, in contionem vocavit, sic Juppiter nonnunquam quidquid fuit deorum, ut publica contio (*ἀγορὰ θεῶν*) haberetur, in suas aedes convenire iussit. itaque (Il. υ, 7.) recte dici potuit:

οὔτε τις οὖν ποταμῶν ἀπέην νόσφ' Ὠκεανοῖο
οὔτ' ἄρα νυμφάων, αἵ τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται
καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πίσεα ποιήεντα.

Cuius modi in contionibus Juppiter sua decreta aperire solet, quique deorum dicto non paruerit, eum, ut quanto ipse omnibus diis superior sit cognoscat, se in Tartarum proiecturum esse minatur. quamobrem legimus quidem (Il. v. 15.), Neptunum ut Jovis consilia exploraret verba fecisse, et (Il. Θ. 31.) Minervam, quum Graecis auxilio venire vetita esset, a Jove petivisse, ut illos consiliis certe adiuvare sibi liceret; sed nisi forte illud contumaciae videtur esse, quod Minerva patris decreta aegre ferens compluribus locis (cf. Il. χ. 181.) dicit: *ἔρδ' · ἀτὰρ οὔ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι*, ullum deum Jovis voluntati prorsus se opposuisse, nusquam memoriae proditum est. ac revera ut reges terrarum illo tempore senatus auctoritatem spernere verebantur et animis populi temptatis, quid factu opus esset constituebant: sic Juppiter precibus Minervae, quid ipsa aliique dii sentirent eloquentis, liberaliter interdum indulgebat; hac tamen indulgentia, qua pater benignus in filiam immodestam uti videtur, speciem quandam necessitatis poetarum more exprimi, quis est qui non intellegat? nihilominus Juppiter de dignitate sua non discedit, et quotienscunque opus videtur esse, rigidissimo utitur imperio, cuius rei in iis quae sequuntur, complura adferendi exempla occasio offeretur. iam enim quum quomodo Juppiter universo deorum concilio praefuerit satis constet, explicandum

est, qua necessitudine cum singulis diis fuerit coniunctus, qualemque se maxime in Junonem, Neptunum et Minervam praebuerit. sed iam h. l. monendum est, in Iliade deos se praestare quodammodo alios, alios in Odyssea. Ulixem enim postremum rediturum esse in patriam Juppiter erat pollicitus, eique rei perficiendae ut resisteret Minerva, tantum abfuit, ut quam maxime faveret. quod Neptunus non ignorans quum nisi obsequium nihil sibi relictum esse cognosceret, nec quicquam esset, cur Juno infesto in Ulixem animo uteretur, in Odyssea dii nulla fere dissensione distracti sunt. Longe aliter sese res habet in Iliade. namque quum Juppiter Thetidi se Achillem filium eius summa gloria ornaturum esse promisisset, et hanc ob causam, ne fidem prodere videretur, aliquamdiu Troianorum partibus faveret, inter ipsum et alios deos, qui cum Graecis stabant, acerrima exorta est discordia, nec defuerunt iurgia et contumeliae, quibus immortales mortalium modo inter se utebantur. quare inquirenti cuique, quales Homerus deos esse existimaverit, Iliadem fontem, ex quo hauriat, multo uberiorem esse Odyssea, satis apertum est.

Juno igitur probe sibi conscia se coniugem atque sororem dei supremi esse*), non modo primum inter deas locum sibi vindicat, sed etiam, ut inter homines fieri solet, non raro mariti imperium detrectare conatur eique opprobrio vertit, quod cum ipsa non omnia sua communicet consilia:

αἰεί, inquit, *τοι φίλον ἐστὶν ἐμεῦ ἀπονόσφιν ἐόντα,*
κρυπτάδια φρονέοντα δικαζέμεν, οὐδέ τί πώ μοι
πρόφρων τέτληκας εἰπεῖν ἔπος, ὅ ττι νοήσῃς.

Tum Juppiter eam meliora edocturus respondet: ne spera, omnia mea te consilia audituram esse; quod quidem te cognoscere par est, prius nec hominum nec deorum quisquam quam tu comperiet; quod tamen seorsum a diis animo concipere voluero hoc ne tu interroga neve perscrutare. deinde quum Juno ut linguam comprimat nullo modo commoveri possit, Jovis ira tantopere exardescit ut minis utatur asperrimis pergens: (Il. *α*, 565.)

ἀλλ' ἀκέουσα κάθησο, ἐμῷ δ' ἐπιπείθεο μύθῳ,
μή νύ τοι οὐ χραίσμωσιν, ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν Ὀλύμπῳ
ἆσσον ἰόντ', ὅτε κέν τοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω.

Quibus auditis anxia tandem obmutescit, atque Vulcani ioco rixae finis imponitur.

---

*) Cf. Il. *δ*, 59. — Aliis locis *κασιγνήτη ἄλοχός τε, πρέσβα θεά* et *θυγάτηρ μεγάλοιο Κρόνοιο* adpellatur. Cf. etiam Verg. Aen. 1, 46 et Horat. Od. III, 3, 63. —

nbi vero Juno id quod voluit vi assequi non poterat, dolos adhibebat (Il ξ, 197 *δολοφρονέουσα*); recte igitur Juppiter queritur, illam sua semper consilia irrita facere studere. Jove enim decepto Graecis succurrit, Achilli ut certamini interesset persuasit, atque ut Troiani foedus ictum violarent per Minervam effecit. (Cf. Il. *ϑ*, 381. sqq. *σ*, 358. *δ*, 71.) quod tamen quum Juppiter animadverteret, acriter succensebat atque minabatur: (Il. *ϑ*, 402.)

γυιώσω μέν σφωϊν ὑφ' ἅρμασιν ὠκέας ἵππους,
αὐτὰς δ' ἐκ δίφρου βαλέω, κατά ϑ' ἅρματα ἄξω. κ. τ. λ.

Eiusmodi minis deterrita Juno, quum se contra Jovis potestatem nihil valere intellegeret, plerumque ab incepto destitit, nec facile, loco illo qui legitur Il. o, 18 excepto, revera poenam ab ea esse repetitam invenias. ceterum ubi res postulabat, etiam blanditiis et assentationibus mariti gratiam ac benevolentiam sibi conciliare conabatur, quod tamen semper ita, ut suam ipsius gravitatem dignitatemque abicere non videretur, faciebat. non enim sine superbia quadam se deam potentissimam caelique reginam esse significatura Jovi respondet: (Il. *δ*, 59.)

καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλομήτης
ἀμφότερον, γενεῇ τε καὶ οὔνεκα σὴ παράκοιτις
κέκλημαι. κ. τ. λ.

Quem igitur locum inter deos Juppiter obtinebat, eundem inter deas Juno, quippe quae uxor illius et soror esset, optimo iure sibi vindicavit, atque in eorum coniugio numen supremum esse positum, nec quemquam iis concordia coniunctis resistere posse aperte docet illud, quod Juno Il. *δ*. 62. sq. dicit:

ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦϑ' ὑποείξομεν ἀλλήλοισιν,
σοὶ μὲν ἐγώ, σὺ δ' ἐμοί, ἐπὶ δ' ἕψονται ϑεοὶ ἄλλοι.

Sed ut Juno, quod Paridis iudicium aegre ferebat, (Il. *ω*. 28.) infesto in Troianos animo fuit, ita etiam Neptunus, quod Laomedontis perfidiam (Cf. Il, *χ*, 443.) nondum erat oblitus, in Troianos, excepto Aenea, omnes acerbissimo odio erat adfectus et hanc ipsam ob causam rixae nonnunquam et altercationi cum Jove implicitus est. quamvis enim (cf. Il. *ϑ*, 210.) illum omnibus diis praestantiorem esse concedat, tamen quum ab eo a certamine desistere iuberetur, primum Jovis superbia indignatus se pari honore atque illum praeditum esse gloriatur, deinde haec fere dicit: tres sumus Saturni filii, Juppiter, ego et Pluto; in tres partes omnia sunt divisa et suum quisque nostrum accepit honorem; mihi enim sorte evenit mare, Plutoni orcus, Jovi caelum, terra vero omnibus communis est. equidem igitur ex Jovis sententia non vivam, maneat in tertia sua parte neve me manibus terreat, satius enim

esset eum filias filiosque verbis incessere. quomodo quum furorem effudisset, verbis quae Iris locuta est:

οἶσθ', ὡς πρεσβυτέροισιν Ἐρινύες αἰὲν ἕπονται;

mirabili modo animus eius ex inopinato flexus est ita, ut confestim Jovi obsequeretur. utut vero est, id saltem liquet, Neptunum mare sortitum Jovi caelum sortito se parem esse putare sed fratri cedere natu maiori, quod decere minorem testatur Homerus: (Il. ν. 354.)

ἦ μὰν ἀμφοτέροισιν ὁμὸν γένος ἠδ' ἴα πάτρη,
ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα ἴδῃ·
τῷ ῥα καὶ ἀμφαδίην μὲν ἀλεξέμεναι ἀλέεινεν, κ. τ. λ.

Quamobrem qui deus (εὐρυκρείων Ἐνοσίχθων, Ἐννοσίγαιος Il. ϑ, 201. λ, 751. ν, 10. υ, 20. a. l.) sua potentia terram concussit, ut montes tremefierent et Pluto timeret, ne terra diffinderetur regnumque infernum adpareret, eundem quum Juppiter ab Ida monte ad Olympum curru vectus esset, eius equos solvisse currumque in suggestibus posuisse legimus. ita neque Neptunum officii fratri suo praestiti pudebat, nec Juppiter (cf. Od. ν, 142.) illum deorum esse πρεσβύτατον καὶ ἄριστον profiteri dubitavit.

Aliquanto vero plus negotii quam cum fratre Jovi erat cum Minerva, filia illa maxime quidem a patre amata sed impia admodum atque ingrata; haec enim si id quod cupit a patre impetrare non potest, nullis in eum verborum parcit contumeliis; cuius rei si Jove praesente non datur facultas, absentem eo licentius et effrenatius increpat.*) quod quum Juppiter saepius aequo animo ferret, eo audaciae petulantiaeque progressa est, ut in certamen processura patris indueret loricam, (Il. ε, 735. ϑ, 387.) cum Junone tonaret (Il. λ, 45.) multisque aliis modis iura sua migraret. hanc tamen ob causam quum Mars Jovem reprehenderet, quod nunquam Minervam nec verbis nec rebus coerceret sed ei omnia indulgeret, quumque Venus se a Diomede, adiutrice Minerva, vulneratam esse quereretur: illi Juppiter respondit, eum sibi odiosissimum esse omnium deorum, quod semper belli gerendi cupiditate flagaret, (Il. ε, 890.) Venerisque querellas, quod eam bello interesse dedeceret, ridens reiecit. saepenumero igitur Juppiter, paterno amore impulsus, tuetur Minervam in suspitionem adductam atque ab aliorum deorum opprobriis defendit,

*) Cf. Il. ϑ. 360: ἀλλὰ πατὴρ οὐμὸς φρεσὶ μαίνεται οὐκ ἀγαθῇσιν
σχέτλιος, αἰὲν ἀλιτρὸς ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς.

sed dicto non satis audientem confidenterque resistentem acriter se punaturum esse minitatur; quum enim Juno et Minerva, praecepto Jovis contempto, in pugnam curru veherentur, deas a certamine revocavit atque acerbissima deterruit oratione in qua extrema dixit haec: (Il. ϑ, 404.)

οὐδέ κεν ἐς δεκάτους περιτελλομένους ἐνιαυτούς
ἕλκε' ἀπαλθήσεσθον, ἅ κεν μάρπτῃσι κεραυνός·
ὀφρ' εἰδῇ Γλαυκῶπις, ὅτ' ἂν ᾧ πατρὶ μάχηται.

His maledictis attonita tunc quidem tacuit Minerva, sed iam antea patris iram cito defervescere satis experta Junoni dixerat, (Il. ϑ, 373.) tempus non defore, quo Juppiter ipsam *φίλην Γλαυκώπιδα* adpellaturus esset. persuasum igitur ei fuit, paterno amori odium paullo post cessurum, seque ipsam officii neglecti veniam esse impetraturam. at si quaeritur quid sit, cur quotiens filia peccet, totiens in patris gratiam recipiatur, id maxime tenendum est, eam ex patris ipsius capite natam, h. e. Jovis potentiam quandam sive facultatem ab ipso esse seiunctam; sed quaenam sit illa facultas ex eo cognoscas, quod Juppiter magnos perpessus dolores ipso ex capite filiam genuisse traditur. mentem igitur, ut ita dicam, ex se dimisit pater, quum quod patrio animo placuit, menti saepe perpendenti non probaretur. ita discordiae illae, inter patrem et filiam exortae, videntur esse percipiendae atque explicandae; quumque qui mente utitur plerumque rectius de rebus propositis iudicare soleat, quam qui animi sententiam sequitur, animus menti cedit, sive pater filiae indulget. sed non omnibus in rebus inter patrem filiamque esse dissensionem, cum rei natura docet, tum firmissimo documento est tota Odyssea; quod enim Juppiter constituerat, Ulixem decimo anno, quam Troia esset expugnata, in Ithacam reversurum esse, idem fieri etiam Minerva voluit, nec invita Jovis decretum illud perficiendum suscepit. item quum Hercules (Il. ϑ, 364.) Eurysthei laboribus saepius defatigatus caelum precibus lacrimans adiret, Juppiter Minervam quae filium adiuvaret de Olympo demisit. itaque ambo dii haud raro coniunctim commemorantur; Cf. Il. ϑ, 287. *αἴ κέν μοι δώῃ Ζεύς τ' αἰγίοχος καὶ Ἀθήνη*, Od. π, 260. *καὶ φράσαι εἴ κεν**) *νῶϊν Ἀθήνη σὺν Διὶ πατρὶ ἀρκέσει*, et Od. υ. 42: *εἴπερ γὰρ κτείναιμι Διός τε σέθεν τε ἕκητι* et penes eos coniunctos maximum esse imperium aperte dicit Telemachus: Od. π, 263. sqq.

ἐσθλώ τοι τούτω γ' ἐπαμύντορε .....
..... ὥτε καὶ ἄλλοις
ἀνδράσι τε κρατέουσι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν,

*) Naegelsb. suspicatur legendum esse *εἰ καὶ*.

Praeterea tota antiquitate Minervam potentissimam deam esse habitam, docet Homerus, a quo saepius *ὀβριμοπάτρη* et (Il. *δ*, 515.) *Διὸς θυγάτηρ κυδίστη Τριτογένεια* adpellatur, docet Hesiodus Theog: 896, ubi dicitur *ἶσον ἔχουσα πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλήν*, docet Horatius (Od. I, 12, 19.) dicens:

Proximos illi (Jovi) tamen occupavit
Pallas honores.

Minerva igitur in Odyssea quum quod pater decreverat, idem ipsi placeret, Jovi omnibus in rebus maximo fuit adiumento; quod ne in rebus troicis, quae in Iliade enarrantur, fieret, utriusque dei condicio impedivit, quod aliquamdiu alter alteri favebat parti. quamobrem quum Juppiter se hominum certamini interesse maiestate sua alienum esse censeret (Il. *v*, 21, sqq.), in iis quae voluit exsequendis Apolline usus est adiutore, quem pietatis semper memorem, arctissimo cum patre vinculo coniunctum eamque ob causam *Διὶ φίλον* adpellatum esse constat. pari modo ceteri, qui nondum commemorati sunt, dii omnes, quibus munera quaedam tradita erant administranda, Jovis voluntati obsequuntur atque dicto sunt audientes. Mercurius enim eius mandatis acceptis ab Olympo descendit nec modo, quid Jovi placuerit, sed etiam viam ac rationem indicare solet, quomodo illud optime et facillime perfici possit; itaque Ulixi ad Circes aedes ituro obviam factus ostendit, quomodo se ab illius venenis defendat, (Od. *κ*, 277.) atque Priamum castra Graecorum petentem ipse comitatur, ut Jovis decreta eo certius perficiantur. Iris vero nuntiare simpliciter solet, quid faciendum sit, nec nisi uno loco (Il. *o*, 200.) rei exsequendae rationem demonstrat. denique Themis, quae Homeri tempore nondum iustitiae dea culta sed Jovis famula videtur fuisse, illo iubente omnes deos deasque, amnes et nymphas cuiusvis generis, quibus aditus ad contiones deorum publicas patebat, in Jovis palatium summo in Olympo a Vulcano aedificatum convocat; nec quisquam deorum est, qui abnuat obsequium. adde quod Juppiter in deorum contionem intraus honorificentissime excipitur; advenienti enim omnes e sedibus suis adsurgunt, atque salutaturi obviam procedunt. (Il. *α*, 533.) postremum illud etiam hoc loco monendum est, Jovem minime Olympo tantum atque deorum concilio praeesse, sed latissime munera eius patere; quamobrem non raro iura (cf. Od. *ε*, 176. *o*, 297. 475.) sibi vindicat, quae proprie aliis diis sunt addicta, quodque alii dii (cf. Od. *ε*, 304,) effecerunt, ad eum tanquam summum omnium rerum moderatorem refertur.

Haec, quae modo dixi, cum singula tum universa intuentis animum facile subeat cogitatio, Jovem non modo omnium deorum longe potentissimum ac

